

Johann Georg Dorsche


**Joh. Georg. Dorschei Theologi Discussio Explicationis Hugonis Groti[i] circa locum Actor. XV. v. 20. De Sanguine & Suffocato**

Rostochi[i]: Kilius, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729717119>

Druck Freier  Zugang





Ex bibliotheca b. Parent.

comp. 1753.


A. J. D. Heppner.


9/32.


Lc — 1029.

Lc — 1029.










# CONTENTA.

1. Christ. Kothholti Tract. De Variis Scripturae Editionibus.
2. Guo. Commentar. de Lectione Bibliorum in Linguis vulgo usitat.
3. Joh. Frid. Mayeri Historia Verborum Germanicae Bibliorum D. Mart. Lutheri.
4. Tob. Höpfneri Tabulae in tota S. Biblia.
5. Joh. Franckii Dissertatio terti. Abichtiana, pro Geniis usque Accentuum.
6. Guo. Artificium Artis Abichtianae, quo multa Verba S. V. T. secundum Accentes resolvuntur.
7. Joh. Maurit. Kolleri de Anfang aller Dinge aus der G. Schrift betrachtet.
8. Guo. de der erste Tag. Morit. Grotii, so ist der Anfang aller Dinge beschriben.
9. Guo. M. G. Grotii (i. e. M. Thom. Haveri) de Kontinuitate Hiob gegen D. M. L. abgehandelt.
10. Gottfr. Wegneri Commentatio de Navigationibus Salomonis.
11. A. Faddeli Praes. Regis Histriae Moribundi, G. xxxix. iv.
12. Christ. Gabr. Fischeri Examen der Fröhen Lehrgang der Jesu Christi: Dessen in N. T. Theoph. Anlei.
13. Joh. Henr. Thameri Schizmasma de Origine et Dignitate Pericoparum Evangel. et Epistol.
14. Jo. Gu. Ostermanni Commentatio de Communi Christianorum Peccatione.
15. Joh. Georg. Hunkelii Dubia Selecta circa Passionem Jesu Christi.
16. Joh. Georg. Dorfchani Dissertatio Explicationis H. Grotii circa locum Act. xv. 20. de Sanguine et Suffocato.





10.  
JOH. GEORG. DORSCHER

Theologi,

Discussio explicationis

Hugonis Groti

circa locum Act. XV. v. 20.

DE

SANGUINE

&

SUFFOCATO,

Quam

è MS. excerptit & edidit

JOHANNES GEORG. DORSCHER,

Filius.

---

ROSTOCHI, CHARACTERE KILIANO,

A. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> LXV.

JOH. GEORG. DORSCHNER  
T. colog.  
Dissert. ex libris  
Hugonis Groll  
circa annum 1801. XV. v. 20.  
d. a.  
S A N G U I N E  
&  
S U P P O S I T O .

JOHANNES GEORG. DORSCHNER,  
Filius.

ROSTOCKI, CHARACTERE KALLIANO,  
A. B. B. E. N. N. I.



## ΣΥΝ ΘΕΩ!



Grotius, explicaturus ex Actibus  
locum de Sangvine & Suffocato, asserit

I. Veteres Christianos credidisse, Jacobum propterea voluisse hos ex gentibus vocatos abstinere à Sangvine, quod licet Mosis præceptis, quæ Israelitis data erant, non tenerentur, neque lege circumcissionis, quæ solos Abrahami obstringebat posteros, liberi tamen non essent ab iis, quæ Adamo & Noæ Deus præceperat, ad quæ addidit quædam Christus, nihil autem demisit. Probat Grotius hoc 1. ex Tertulliano de Monogam. cum inquit; *Adeo in Christo omnia revocantur ad initium, ut & fides reversa sit à circumcissione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit: & libertas ciborum, & Sangvinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit: & matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit: & repudii cohibitio, quod ab initio non fuit, & postremo totus homo in Paradisum revocatur, ubi ab initio fuit.* 2. ex eod. cum libro de jejun. ait: *Æquè post diluvium in reformatione generis humani suffecisse unam interim legem à sangvine abstinendi, permisso usu ceterorum.* 3. ex Leone Imp. qui vetuit Sangvinem edi intestinis velut tunicis infarctum, utpote tum veteris tum novæ gratiæ tempore rem habitam nefariam. 4. Quia præcepti illius non nimis supersticiosa observatio facilis est. 5. Quia causas honestas habet. Solere enim qui sangvine pro alimento utuntur efferari, quod Americani doceant. Monere etiam, à vindicta abstinendum, cum qui se vindicat, sangvine pasci dicatur, & juxta Origenem demones sangvine pasci crederentur. Asserit

II. Christianos veteres non existimasse, præceptum de abstinentia Sangvinis & Suffocati datum ex ea una causa, ut Judæorum offensa vitaretur. Probat hoc 1. ratione. Quia si id existimassent, non observassent id præceptum cum certo vitæ periculo, etiam ubi non ad-

A 2

erant

erant Judæi. At hoc eos fecisse constat. Nam Biblis martyrium sub-  
 icura, apud Eusebium *hist. Eccl. V, 1.* Quomodo, inquit, infantibus vesce-  
 rentur illi, quibus ne irrationalium animalium sanguine vesci licet. Testis  
 & Tertullianus in *Apolog. cap. IX.* cum ait: Erubescat error vester Christia-  
 nis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus: qui  
 propterea quoque suffocatus & morticinis abstinemus, ne quo sanguine conta-  
 minemur, vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christiano-  
 rum, botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet, illicitum esse  
 pene illos, per quod exorbitare eos vultis. Porro quæle est, ut quos sangui-  
 nem pecoris horrere confiditis, humano inbiare credatis. Octavius apud  
 Minutium: Tantum ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum  
 in cibo sanguinem noverimus. 2. Testimoniis. Canon. 62. Apost.  
 Εἰ τις Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὄλος ἔκαθε-  
 δὺς ἔισραηλῆ φάγη κρέα ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτῆς, ἢ ψευδῶν  
 ἢ θησιμαίων, καθαιρεῖται. Τὸ τοῦ νόμου ἀπέπειν. Εἰ δὲ λα-  
 ῖκός τις, ἀφορίζεται. Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel  
 omnino ex sacerdotali catalogo comederis carnes in sanguine auium ipsorum,  
 vel quid à feris captum vel morticinum, deponatur, hoc enim lex prohibuit. Si  
 autem Laicus sit, segregetur. Synodi Gangerensis, Can. 2. ex transl.  
 Gentiani Herveti Si quis eum, qui carnem, præter sanguinem & ido-  
 lotyhtum & suffocatum, cum pietate & fide comedit, condemnat, tanquam  
 eo, quod ea vescatur, spem non habeat, sit anathema.

Resp. Assertio I. multa falsa aut dubia postulata habet. 1. Dubium  
 est an Synodus Hierosolymitana in ista dispositione de abstinencia  
 certarum rerum ad præcepta filiorum Nohe Gentes ad Christianam reli-  
 gionem transgressas obligare voluerit. Impugnat istam sententiam copio-  
 se Janus Seldenus in *lib. 7. de jure Naturali & Gentium &c. cap. 12.* in primis  
 quia leges filiis Nohe datae, si observabantur à Gentibus, faciebant tan-  
 tum Profelytum portæ, qui exterius cum Judæis conversari poterat, non  
 autem Profelytum justitiæ, qui in interiori communione fuit, de qua in-  
 teriori conjunctione gentium & Judæorum credentium quæstio in syno-  
 do Hierosolomiana agitabatur. Sed nunc de ea nihil actinet dicere.  
 Grotius ipse fatetur, inter præcepta Adamo & Nohe data Judæos non  
 possuisse interdictum scortandi. Non tamen licebat, quod sapientissimi,  
 ut Grotius loquitur, inter Gentes putarunt, exinde colligere, merce-  
 trices

trices quidem turpiter facere, quod metrices essent, pœnamque esse in ipsa professione flagitii, non tamen peccare, qui fœminis istis venalibus uterentur. Nam morali lege inclusum fuit istud interdictum. Non autem nisi successivè & in aliquibus documentis tota lex moralis repetita fuit ante diluvium, aut Mosen. Mansit interim mentibus insculpta, imprimis Adami & Noachi. 2. Dubium est, an id, quod de præceptis filii Nohæ datis ex Rabbini traditur, si omnino ita habeat? Certè scriptura de eo nihil habet. Et Adamo ac Noacho plura præcepta fuisse, quam istis traditis continetur, satis manifestum est. 3. Dubium est an omnia Adamo & Noacho præcepta perpetuò gentes obligaverint? Fuit sanè præceptum Adamo datum de sacrificando & ita repræsentando semen mulieris demum sacrificio suo contritum caput serpentis. Nonnulli quidem Pontificii putant ex solius rationis iudicio sacrificiorum cultum institutum, & ipsam naturalem rationem obligare hominem ad sacrificandum. Sed istum errorem impugnavi in *Mysaria Myssa*, quam ante xxx. annos Jesuitæ Molsheimensi Herbero opposui. c. 2. Certè cultus Dei à voluntate & consequenter revelatione Dei dependet. Alias venit nomine *εθελοθρησκείας* Col. 2, 23. *Selbsterwehlten Gottesdiensts*. Et Abel fide obrulit sacrificium melius, quam Cain, Hebr. 11, 4. Si fide, ergo ex verbo Dei revelantis, Rom. 10, 17. At istud non obligavit ultra tempus oblationis Christi, licet sacrificiorum oblatio ex more Judaico aliquandiu post ascensionem Christi tolerata fuerit. Non igitur, quod ante Mosen Adamo & Noacho præceptum est, omnes homines semperque obligat ex eo capite, nisi aliunde obligationis ostendatur ratio.

4. Falsum autem est & ex Socinianismo haustum, quod dicitur, Christum nil ademisisse præceptis Adamo & Noacho datis, addidisse autem aliqua. Prius ex dubio 3. patet. Etiam si enim expressè ipse non dixeris, sacrificia omittenda esse, re ipsa tamen facto sustulit è medio, quando in se illa velut umbras terminari docuit, cum consummata esse omnia clamavit. Et Apostoli satis clarè indicarunt, quid de sacrificiis habendum esset. Addidisse autem Christum aliqua imprimis moralia præcepta præceptis Adamo & Nohæ datis, quod posterius asserit Grotius, & Socini commentum est, nullo apice, s. literarum probari potest. Explicavit legem, & ejus recessus contra sinistram antiquitatis interpretationem patefecit Christus Matthæi V. sed hoc non est addere.

Probationes assertionis invalidæ sunt. 1. Tertullianus librum de  
*Monogamia* scripsit, cum jam ad hæresin Montani prolapsus esset, nec  
 jam amplius filius Ecclesiæ exitisset. Ita Beatus Rhenanus, qui primus  
 opera Tertulliani ad typographiam adornavit, in *Admonitione de Tertul-*  
*liani dogmatis* ad calcem operum adjecta p. 126. inquit: *Tertullianus*  
*in libro de Monogamia perperam sentit de perpetua virginitate Deiparæ Ma-*  
*riæ, scribens Christum Virginem enixam, semel nupturam post partum.*  
*Vnde hunc etiam in testem advocat Helvidius in libro suo, quem refellit Hi-*  
*eronymus, qui calore quidem Disputationis commotior factus regeffisse vide-*  
*tur: De Tertulliano, inquiens, nihil amplius dico quam Ecclesiæ hominem*  
*non fuisse. Sic Rhenanus, qui addit: D. Hieronymi Consilium sequamur,*  
*Tertullianum sic interdum esse legendum monentis, quomodo Origenem, Na-*  
*vatum, Arnobium, Apollonium & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores Græcos*  
*pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusq; contraria, hæctenus ille,*  
 2. Tertullianus isto loco conclusionem improbatam sibi sumsit defen-  
 dendam; scilicet cum in Montano Spiritus Sanctus omnia, quæ ad vi-  
 tam Christiani hominis pertinent, ad pristinam perfectionem reducere  
 velit, etiam conjugium ad pristinum statum illum reducere voluisse, ut,  
 quotquot Deo placere porro volunt, à secundis nuptiis abstineant, sicut  
 primus homo unis nuptiis contentus fuit. Hanc conatur variis tueri  
 fundamentis I. quia Christus in quæstione de repudio ad initium provo-  
 cavit, dixitq; ab initio non ita fuisse Matth. 19, 4. II. Quia S. Paulus  
 ad Eph. 1. scribit, Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem  
 adimpletionis temporum ad caput, id est, ad initium reciprocare uni-  
 versa in Christo. III. Quia Christus propterea se vocat  $\alpha$  &  $\omega$ , ut o-  
 stenderet, in se esse initium decursum ad finem & finis recursum ad initium.  
 IV. Quia & circumcisio carnis mutata & reditum est ad integritatem  
 carnis, sicut ab initio fuit. V. Quia restituta est libertas ciborum, &  
 sola imperata sanguinis abstinencia, sicut ab initio fuit. &c. In his fun-  
 damentis, quædam impertinenter allegantur, & erroneè, ut II. quasi Eph.  
 1, 10. indicata  $\alpha\nu\alpha\kappa\epsilon\phi\alpha\lambda\alpha\iota\omega\sigma\iota\varsigma$ , quam Christus sibi propositam ha-  
 beat, sit revocatio omnium in statum, qualis in paradiso primi hominis  
 fuit. At hoc non est  $\alpha\nu\alpha\kappa\epsilon\phi\alpha\lambda\alpha\iota\omega\sigma\iota\varsigma$  Apostolicum. Hoc enim  
 est, in Christo tanquam Capite recolligere omnia, quæ in cælis & in ter-  
 ra sunt. Ad Coloss. 1, 20. vocatur ista  $\alpha\nu\alpha\kappa\epsilon\phi\alpha\lambda\alpha\iota\omega\sigma\iota\varsigma$  alio nomine  
δπικα-

Ἐπιπέλαξις reconciliatio, redunitio. Et III. ubi falso dicitur, Christum esse α & ω vocatum, quia in ipso omnia ab initio ad finem & à fine ad initium recurrunt. Nam non ideo, sed propter æternitatem Christus α & ω vocatur, sicut & vocatur primus & novissimus, Ap. 1, 17. Et initium, quod per α denotatur, est non initium mundi, Gen. 1, 1, sed ipse Christus, Ap. 1, 8. qui vocatur ἀρχὴ καὶ τέλος. Et IV. ubi dicitur, quod fides sit reversa à circumcissione ad integritatem carnis sicut ab initio fuit. Nam circumcissio carnis fuit medium restaurandi hominis & reducendi ad eam perfectionem, quam ab initio habuit. Nec mutata est, quia fideles fuerunt reducendi ad initium restituta integritate carnis, sed quia per baptismum, non onerosum, uti circumcissio fuit, sed facilimum medium, Deus in Nov. Test. homines restaurare voluit. Quædam autem fundamenta non attingunt statum. Dicit Tertullianus, *totum hominem revocari in Paradisum, ubi ab initio fuit.* Ergo per reductionem ad initium intelligit statum paradisiacum. Quod & ex eo intelligi potest, cum, quod adducit Tertullianus, Christus dicit *ἐγὼ ἀρχῆς* repudium non fuisse. Ubi intelligitur primordialis institutio matrimonii, quæ in Paradiso facta est. Sed quid ad hoc attinet prima ratio? Num, quia in statu integritatis non fuit metuenda mors alterutrius conjugis, ideo etiam in statu lapsus ex ea causa monogamia ad analogiam status integritatis introducenda est? Quanta hic occurrit ratio dissimilitudinis. Ibi Monogamiæ nulla impedimenta fuerunt, quia conjuges semper fuissent victuri. In statu integritatis longè aliter se res habet. Repugnat locus Rom. 6. cap. v. 3. Præterea, an sanguinis solius abstinencia permissis in universum animantium etiam cibus fuerit ex paradisiaco instituto, h. e. ab initio, ut Tertullianus loquitur, incertissimum est. 3. Quod sanguinis abstinencia inter ea recensetur, quæ in initio paradisiaco fuerunt, adeoq; perpetua dicitur, falsissimum est & nullo indicio confirmari potest. Initio quidem introductorum sacrificiorum sanguinis etiam abstinenciam usitatam & præceptam fuisse, extra dubium ponitur. Firmat id locus Lev. 17, 11. ubi Jehova: *Ego vero destinavi vobis sanguinem in altari ad expiationem faciendam pro animabus vestris.* Et respicit horum locus Gen. 9, 4. ubi Jehova: *Carnem cum sanguine ipsius ne comedite, quia anima ipsius est.* Qui ex hoc respectu omnino interpretandus est, quia sanguis in altari ad expiationem desti-

nam



natus est peculiariter. Quo respectu omnis sanguis ab esu humano intracclusus est, quamdiu illa destinatio durat. Durat autem tantum ad Mellis usque *αιματεκχυσιαν*. Hebr. 9, 21. Quapropter abstinentia à sanguine inter ea, quam initio paradisiaco fuerunt, recenseri nequit.

4. Quod Tertullianus libro de Jejunio adversus Psychicos scribit, post diluvium in reformatione generis humani suffecisse unam interim legem à sanguine abstinendi, permisso usu ceterarum: partim falso dicitur, partim nostro proposito non adversatur. Proponamus integra Tertulliani Verba: Cur non statim Deus constituit aliquam victus castigationem, quia imò & auxit permissionem. Nam in primordio quidem herbidum solummodo & arboreum homini pabulum addixerat. Ecce dedi vobis omne semen sementivum, seminans semen quod est super terram, & omne lignum, quo habet in semetipso fructum seminis sementivi erit vobis in escam. Postea verò ad Noe enumerata subiectione omnium bestiarum terræ & volatilium cæli, & moventium in terra, & piscium maris, & omnis viventis: erunt, inquit, vobis in escam velut olera fœni dedi vobis universa. Verum carnem in sanguine animæ suæ non edetis. Nam hoc ipso quod eam solam carnem esui eximit, cujus anima non per sanguinem effunditur, omnis reliquæ carnis usum concessisse manifestum est. Adhæc respondetur, non competisse onerari hominem aliqua adhuc abstinentiæ lege, qui cum maxime tam levem interdictionem unius scilicet pomi tolerare non potuit; remissum illum itaque libertate ipsa corroborandum. Eque post diluvium in reformatione generis humani suffecisse unam interim legem à sanguine abstinendi permisso usu ceterarum &c. Sic Tertullianus. Atqui non una lex, etiam supra immutabilem legem naturæ, quæ moralis est, posita fuit post lapsum & diluvium. Mansit enim lex mundorum & immundorum animalium etiam post diluvium, quæ tamen postea abolita est, nisi quatenus ipsa ratio naturalis à nonnullis animalibus abhorrendum dicitavit. Mansit lex de sacrificiis, cui illico è diluvio egressus Noë morem gessit. Manserunt alia præcepta. Illud autem adhuc controversum est, an ante diluvium ab esu animalium abstinuerint homines. Sed, quicquid sit de hoc, in quo jus ab usu distinguï forsitan potuit, non probatur exinde, abstinentiam à sanguine mandari lege per tempora etiam Novi Test. duratura. s. Quod III. ratio Grotii ex autoritate Leonis Imperatoris habet, non ex autoritate, sed ex fundamento decidendum est. Videamus Novellam 58. Leonis, qua Styliano Illu-

Strissimo

strictissimo sacrorum officiorum Magistro rescribit in hanc sententiam Si-  
mul olim Legulatori Mofi sanguine non esse vescendum mandavit Deus; simul  
ab ejusmodi cibo abstineri debere à præconibus gratia est constitutum. Et  
quæquam tum veteris tum novæ gratia tempore illa res vilis habita sit & ne-  
cessaria: eò tamen contumaciæ, imò vecordiæ homines processere, ut neutri legi au-  
rem præsent morigeram. At contra alii lucri, alii gulæ causa summa eam  
impudentia mandatum contemnunt, in escamque qua vesci vetitum est, san-  
guinem convertunt. Perlatum enim ad aures nostras est, quod intestinis tan-  
quam tunica illum infarctum, velut consuetum aliquem cibum ventri præbeant.  
Quod tolerari non debere Imperatoria nostra majestas rata, neque tam impio  
soli gulæ inhiantium hominum invento, nunc Præcepta divina, nunc reipubl.  
nostræ honestatem dedecore affici sustinens, jubet, ne quis id scelus, neq; ad suum  
usum, neq; ut emtores detestando cibo contaminentur, ullo modo exercere au-  
deat. Ac sciat quicumq; dehinc divinum mandatum contemnere, sanguinemq;  
in cibum convertere, (sive vendat, sive emat,) deprehensus fuerit, se bonorum  
publicationi subiiciendum, & ubi acerbum in modum flagris cæsus ac cute te-  
nus scædè confusus erit, perpetuo patriæ exilio multandum esse. Quo quidem in  
iudicio neq; civitatum Magistratus citra criminationem dimittendos censemus:  
sed ut & ipsi (neq; enim si illi convenienti alacritate magistratum gessissent, id  
scelus commissum esset) quod negligenter socorditerq; subditu præfuerint, de-  
cem librarum auri multam insincant. Hæc est novella ista contra esum lan-  
guinis constitutio, ad quam notamus 1. autorem ejus esse Leonem VI. co-  
gnomento *Ἰσχυρὸν* Basilii Filium, qui trecentis sexaginta annis post Justini-  
anum fuit, coætaneus Arnulphi Romanorum Imperat. Uti ex novellis ejs  
constitutionibus apparet, passim traducit & sugillat leges imperatoru  
anterioru. Nullam autem autoritatē meruerunt in imperio aut Ecclesiâ conf.  
*Cujacium Observ. lib. XVII, 32.* Notamus 2. quod videri possit Imperato-  
rem legem tulisse in eum finem, ut tanto lubentius Judæi ad consuetu-  
dinem cum Christianis transirent. Impensè hoc egit Imperator, ut Ju-  
dæi secundum Christianismi ritus viverent. Qua dere & novellam quin-  
quagesimam quintam ad Stylianum direxit. Quod ut promptius effi-  
cerent Judæi, Christianis esum sanguinis interdicerere voluit. Notamus 3.  
quia Imperator ex sinistro intellectu dispositionis sive Mosaicæ, sive A-  
postolicæ legem de abstinentia sanguinis tulit, nec allegavit consuetu-  
dinem universalis Ecclesiæ in octavum usque ad seculum abstinentiam  
B sangui-

sanguinis comprobantem, hoc ipso vim legi ademptam esse in propa-  
tulo est.

6. Quod Vtra ratio Grotii habet de facilitate abstinentiæ non ni-  
mis superstitiosa à sanguine, nullius est momenti. Primum enim non se-  
quitur, hujus & illius observatio facilis est, ergo sub opinione legis in  
conscientia obligantis suscipienda est. Sic daretur regressus ad multarum  
ceremoniarum V. Testamenti observationem, ut parum difficultatis in  
sefe habentem. Deinde dum facilitatem non nimis superstitiosæ obser-  
vationi abstinentiæ à sanguine tribuit Grotius, difficultatem prodit.  
Quousque enim licebit progredi quæso, in abstinentia à sanguinis esu, ut  
sit non nimis superstitiosa? Hic certe mensuram dare difficile est. Si ab-  
solutè sanguinis esus est vetitus lege perpetua, etiam tantillum edere ve-  
ticum est. Non in quantitate, sed in substantiâ sanguinis interdictum fun-  
datum est. Denique quid est, quod Grotius dicit de observatione non  
nimis superstitiosa? Licita ne erit observatio aliquo modo superstitiosa, &  
vetita tantum non nimis superstitiosa. At hoc minus piè dictum est.

7. Quod Vtra ratio Grotii habet de causis honestis illius observa-  
tionis, non urget. Nemo sanè hæctenus efferatior factus fuit, quia san-  
guinem illo modo, qui usitatus est, paratum comedit. Americani crudo  
sanguine fruebantur. Vindictæ cupidus, oculos, non ventrem crudo san-  
guine pascit. Et quid ad svadendam abstinentiam sanguinis attinet Orige-  
nis error, dæmones sanguine pasci. Potest ne error causam legis dare?

ASSERTIO II. quod *Christiani veteres non existimarint præceptum  
abstinentiæ sanguinis & suffocati ex una illa causa datum, ut Judæorum offen-  
savitaretur.* Non satis liquet. Primum enim non liquet, an omnes Chri-  
stiani non existimarint, propter unam solam evitandam offensam Judæ-  
orum à sanguine abstinentium, sed crediderint, etiam absolutè Deum vel-  
le, ut à sanguinis esu abstinerent. Certe hoc probant nullatenus, quæ ad-  
duxit Grotius. Deinde non liquet ex adductis, an semper Christiani ta-  
liter non existimarint vetitum esse sanguinis esum. Fuerint sanè Chri-  
stiani primo, secundo, aut etiam tertio seculo post Christum, qui etiam ex  
alia quapiam causa à sanguinis esu abstinentium esse existimaverint, non  
tamen perennis ea fuit Christianorum opinio, aut sententia. Fuit aliquo-  
rum Christianorum aliquamdiu consuetudo in oriente & Sabbatum &  
diem Dominicam celebrare. Ita Clemens, quicumque sit, *Constitut. apost.*

lib. 7.

lēb. 7. c. 24. *Sabbatum igitur & diem Dominicam feriari debetis, illud quidem in memoriam creationis, hanc in resurrectionis Christi.* Asterius Episc. homil. de repud. sabbati & diei Dominicæ *σάββατα* vocat *καλήν*. Gregorius Nyssenus *dies fratres* Theodorus Balsamo ait: *A sanctis patribus per omnia exæquatum est Sabbatum diei Dominicæ.* Eusebius testatur, Constantinum Imperatorem Christianos non minus in Sabbatum, quam in diem Dominicam vadari vetuisse. Hinc & jejunium, quod à die Dominica exclusum est, ut Gangrensis synodus docet *can. 18.* à Sabbato etiam, excepto uno ante Pascha, abesse debuit. Ita *canon. 53. Apost.* Zonaras interpretatur. Et testatur Ignacius Ep. ad Philipens. Si quis die Dominico aut Sabbato jejunaverit, excepto uno ante Pascha, Christicida est. Consentit Tertullianus l. de Jejun. & contra Marcionem IV. Notat hæc Grotius ad Act. XV, 21. V. *συναγωγῶν*. Non tamen omnium Christianorum, nec ubique, nec semper ea fuit consuetudo. Tertio non liquet ex adductis, quod isti Christiani ex præcepto vel divino V. Testamenti, vel Apostolico N. Test. à sanguine abstinuerint. Biblis apud Eusebium simpliciter ait: *quomodo infantes comederent illi, quibus neq. irrationalium sanguine vesci ἐξὸν licitum est.* *Ἐξὸν* etiam potest aliquid esse vel non esse, ex assensu humano aut consensu. Sic Act. 2, 29. c. 21, 37. c. 22, 21. Joh. 18, 31. &c. Tertullianus simpliciter ait: *ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus. Minus. nec edulium pecorum in cibus sanguinem novimus.* Quarto denique non liquet, annon vel Judæorum, vel & Gentilium causa ad ista usque tempora alicubi Christiani abstinendum esse censuerint. Fuerunt & ante nativitatem Christi Judæi passim per orbem terrarum disseminati, uti ex antiquo monumento Hispanico *part. I. Theolog. Zach.* ostendi, atque adeo etiam in Galliis, uti ex monumentis Treviricis constat. Trevirorum enim civitas olim Galliis adscribebatur. Biblis autem in Galliis passa est martyrrium. Nam Eusebius illud recitat ex epistola Lugdunensium & Viennensium ad fratres per Asiam & Phrygiam. Fuerunt & Romæ, ubi apologeticum edidit Tertullianus, & alibi passim post Christi nativitatem. Ipse fatetur Tertullianus, in apolog. cum inquit: *Judæi quanta deliquerint fiducia patrum inflati, declinantes à disciplina profanum in modum, nisi ipsi non constiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum. Dispersi, palabundi & Cæli & soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem ve-*

*stigio salutare conceditur &c.* Potuit igitur fieri, ut non quod opinarentur Christiani dispositionem Apostolicam eoque obligare, sed ex mera libertate & prudentia abstinuerint à sanguinis esu. Præsertim tempore Apostolis proximo. Certè enim Biblis, cum sancta martyrum Gallicorum corona, passa est circa annum XVII. Antonini Veri Imper. qui est An. Chr. 268. circiter. Et circa An. Chr. 190 Tertullianus scripsit. Nec multo post Minutius Felix. Potuit inquam fieri, ut hac libera condescensione in consuetudinem secum tanto facilius ineundam Christiani Judæos allicerent. Potuit autem etiam fieri, ut abstinuerint adhuc primis istis Christianismi temporibus ab esu sanguinis, quo tanto magis à gentilium moribus atque institutis separarentur. Certè sanguinem Gentiles ingurgitare fuerunt soliti. Tertullianus in Apolog. *De sanguinis inquit, pabulo & ejusmodi tragici ferculis legite ne tibi relatum sit, diffusum brachis sanguinem, ex alterutro degustatum nasiones quasdam fœderi comparasse? Nescio quid & sub Catilina degustatum est. Ajunt apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemq; à suis comedi. Longè excurro. Hodie istis Bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso, & in parvulam exceptus suis datur signatis. Item illis, qui munere in arena noxiorum jugulatorum sanguinem recentem de jugulo decurrentem exceptum avida siti comitiali morbo medentes auferunt. Ubi sunt item illi, qui de arena ferinis obsonis cœnant? qui de apro, qui de cervo petunt? Aper ille, quem eruentavit, conculcando detersit &c.* Conferatur Pentadecadis *disp. Theol. meæ* 10. th. 25. p. 27 Nec ab animalium sanguine comedendo abstinuisse gentiles, manifestam Tertullianus meminit **BOTULORUM** cruore distentorum, quos inter tentamenta Christianis admoverint, ut eos ad exorbitandum pellicerent. Hinc & Octavius apud Minutium hoc ipsum, sc. edulium, quo pecorum in cibis sanguis exhibetur, ut usitatum gentilibus, inusitatum autem Christianis notare voluit.

At, inquit quispiam, Canon Apostolorum 62. manifestè verarum sanguine vesci, quia lex verat. Resp. 1. Canones Apostolorum non sunt tantæ autoritatis, ut pro divino mandato, eoque in omne ævum perpetuando allegari queant. Solent quidem à Collectoribus Conciliorum ante omnia Concilia poni, sed non sunt ejus antiquitatis & autoritatis. Habentur à Doctis pro rapsodia quadam ex variis scriptoribus & Conciliis facta sub autoritate & nomine Apostolorum. Qua de re in exerci-

*bat mea ad Concilium Nicanum secti pluribus regi. 2. Hic ipse canon se va-*  
*riis iudiciis prodit, quod sit suppositivus & ab Apostolorum temporibus*  
*multum alienus. Nam I. distinguit inter Episcopum & Presbyterum.*  
*Illud discrimen tempore Apostolorum non fuit, sed demum postea ori-*  
*genem habuit, quod jam olim Hieronymus docuit peculiari Epistola,*  
*pro qua integrum tractatum scripsit Dav. Blondellus. II. Distinguit inter*  
*θηράλων à feris captum, & inter θνησιμαῖον morticinium. Ipse Gro-*  
*eius miratur quod θνησιμαῖον additur in Apostolico Canone, & quod*  
*Justinus κρέας ἐν αἵματι interpretatur ὅπερ ἔστι νεκρομαῖον, cum*  
*ex Deut. 14, 21. planum sit, pio incircumciso licuisse edere פלגג,*  
*quod LXX. vertunt θνησιμαῖον, estque idem cum νεκρομαῖον. Unde A-*  
*ristophanis Scholiastes θνησιμαῖα interpretatur νεκρομαῖα. Et*  
*profecto obscura est ista dispositio, multumque recedit ab Hierosolymi-*  
*cana Apostolorum. Si absolute vetitum est edere carnem in sangui-*  
*ne, hoc est carnem adhuc sanguinem intravalatum habentem, quæ est*  
*πικτή, unde & colligitur, non licere edere, sanguinem, ut vocant, extra-*  
*valatum; quid opus fuit addere ἢ θηράλων ἢ θνησιμαῖον sive νεκρο-*  
*μαῖον, si per θηράλων & νεκρομαῖα intelliguntur ea morticina-*  
*quibus adhæret non deductus sanguis? πικτὸν est sive homo suffoca-*  
*verit, sive bestia; sive ex alio casu impedita sit deductio sanguinis. Itaq;*  
*θνησιμαῖον, νεκρομαῖον, & θηράλων sive θηρόρωτον non distingvun-*  
*tur, quia omnia in eo conveniunt, quod iis deductus adhæreat sanguis.*  
*Impertinenter igitur cumulantur κρέας ἐν αἵματι, ἢ θηράλων, ἢ*  
*νεκρομαῖα. Si verò κρέας ἐν αἵματι vetitum intelligendum quate-*  
*nus vel est θηράλων, vel νεκρομαῖον, tunc erit licitum carnem in*  
*sanguine edere extra istos duos casus, scil. si sit neque θηράλων, neq;*  
*νεκρομαῖον. Jam νεκρομαῖον morticinium non rectè dicitur id, quod*  
*ab homine suffocatum est aut artificiosa ratione quadam in laqueum in-*  
*ductum. Neque tamen hoc est θηράλων. Hoc igitur licebit com-*  
*edere, At hoc est revera πικτὸν. Liceret ergo, si hic Canon Aposto-*  
*licus est, aliquod πικτὸν comedere, modo non sit aut θηράλων, aut*  
*νεκρομαῖον. Sed hoc non vult decretum Apostolicum Act. 15.*

III. Suspectum se quoque reddit Canon, quod cum definit, qua

B 3

pœna

pœna sit afficiendus. qui κρέας ἐν αἵματι, sive θηριάλων, sive νεῖ  
 κερμαίων comedit, in ordine Ecclesiastico positos, Episcopos, Presby-  
 teros & Diaconos quidem vult per καθαίρεσιν puniri, Laicos verò per  
 ἀφορισμὸν. Nescit ætas Apostolica illud pœnarum Ecclesiasticarum  
 discrimen. Mentionem καθάρσεως S. Paulus 2. Cor. 10, 4. 8. & c. 13.  
 10. nullibi verò significat pœnam aliquam Ecclesiasticam, Episcopis,  
 Presbyteris aut Diaconis carne vescentibus, cui non est deductus sanguis  
 infligendam. Verbum καθάρσειν destruere est, 2. Cor. 10, 4. Act. 13, 19  
 c. 19, 27. Luc. 12, 18. Alias & est remove. Luc. 1, 52. removit poten-  
 tes de throno. Notat detrahere, cum de Christo è cruce tollendo u-  
 surpatur Marc. 15, 36. & 46. Luc. 23, 53. Act. 13, 29. ἀφορίζην  
 notat in s. lit. N. T. separare, excludere. Matth. 25, 32. de separatione  
 bonorum à malis in extremo iudicio. conf. c. 13. 49. Act. 19, 9. de sepa-  
 ratione, qua S. Paulus suos discipulos segregavit à Synagoga consortio  
 & seorsim in Schola Tyranni inskruit. Act. 13, 2. de separatione Pauli &  
 Barnabæ ad excursum Evangelicum. Nec multo aliter Gal. 1, 15. Rom. 1,  
 1. 2. Cor. 6, 17. de segregatione à consortio infidelium. Luc. 6, 22.  
 ἀφορισμὸς pœna dicitur, de qua ad illum v. Grotius multa. Et ad locum  
 Joh. 12, 42. Seldenus. Sed hoc ex Judaica Synagoga oriundum est, non  
 ex Ecclesiæ disciplina. Quapropter in Apostolorum quidem constitui-  
 one aliqua tale discrimen vix obtinet locum. Certe si aliquod discrimen  
 etiam in Ecclesia inter καθάρσειν & ἀφορισμὸν fuit, recentius fuit,  
 & multum ab Apostolicis temporibus abest. IV. Canonis inserta ratio  
 ipsum suspectum facit. Ait: Hoc enim lex prohibuit. Non hic  
 dicimus, quod Canonis illa allegatio imprudenter videri possit inserta es-  
 se post denominatam Ecclesiasticis pœnam, si se ex illis quispiam sangui-  
 nis esu contaminaverit. Cur enim non etiam interdicto Laicis facto  
 illa allegatio apponitur, si & illis lex prohibuit. Sin minus; cur ἀφορι-  
 σμὸς, Laicis imponitur? Id tantum subit mirari, cur ad legem provo-  
 cet Canon, si Apostolicus est, & non potius ad definitionem Hierosoly-  
 mitanam se referat. Nam ut per νόμον illam constitutionem Apostoli-  
 cam Act. 15. intelligamus, non solum dissuadet communis loquendi  
 ratio, quia per νόμον lex Mosæica plerumque intelligitur, sed etiam ipsa  
 proponendi ratio. Quomodo enim, si Apostoli hunc Canonem 62.  
 condi-

condidissent, non provocassent ad id decretum, quod Hierosolymis circa legis observantiam propositum fuit. Certè enim de lege Mosis quo ad ista ceremonialia controversia fuit in Ecclesia. Itaque non conclusuri fuissent ita nudè & crudè Apostoli: *Carnis in sanguine esum lex prohibuit*: E. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Laici illud sub pœna sive *καταπέταστος*, sive *ἀφορισμὸς* vitare debent. Illico enim totus apparatus legis ceremonialis in Ecclesiam introductus esset. V. Laici nomen in contradistinctione ad Episcopos, Presbyteros & Diaconos suspectum est. Certè temporibus Apostolorum usitatum fuisse, è s. literis demonstrari non potest. Tempore autem Cypriani demum Laici nomen in usum deductum est. Videatur ejus *Ep. 52. ad Antonianum fratrem de Cornelio & Novatiano, ubi Num. 37. Trophinum ut Laicum communicare debere mandat*. Ad quem locum Jacobi Pamelii Brugensis contra Bellarminum observanda est annotatio. Hic enim sc. Cardinalis Bellarminus communionem Laicam de communione sub una interpretatur. Pamelius autem de communione, quæ fiebat extra cancellos, intra quos Ecclesiæ ministri subsistebant. Tempore Apostolorum Clerus seu Cleri fuerunt tota Ecclesia, ex loco 1. Pet. 5. 3. Conf. Act. 26, 18. & Col. 1. 12. In Canone autem hoc Apostolorum expressa fit Laicorum mentio, qui Episcopis, Presbyteris & Diaconis contradistinguntur.


Si denique objicitur Canon synodi Gangrensis, quæ seculo quarto paulò post concilium Nicænum à XX, Patribus Gangræ in Paphlagonia contra Eustathium Sebastenum Armeniorum Episcopum celebrata est, Resp. 1. eam synodum provinciale esse, non Oecumenicam 2. eam quidem esse approbatam in Oecumenica sc. Constantinopolitana, quæ in Trullo habita & sexta Generalis dicitur, non tamen propterea infallibilis autoritatis esse 3. dici à nobis posse, quod Gratianus in *Decreto dist. 28. cap. si quis discernit ad objectum aliquod Capitulum ex Concilio Gangrensi dixit: Notandum est, quod secundum Isidorum pleraque capitula ex causa, ex loco, ex tempore, ex persona consideranda sunt*. Hinc etiam Gregorius ait: *Regula s. Patrum pro tempore, loco, persona & negotio instante necessitate tradita sunt*. 4. Canonem Gangrensem non dicere anathema illi, qui sanguinem, suffocatum & idolothyum comedit, sed ei qui omnem spem salutis adimit vel semel carnem comedentibus, quomodo Eustathium docuisse commemorat Nicephorus Callistus Xantopulus





pulus *Eccles. Hist. IX. 16. 5.* Patres Gangrenses sanguinis & suffocati ab-  
stinentiæ etiam apponere idolothytorum. Et tamen ex Paulinis epistolis  
manifestum est, extra casum metuendi scandali potuisse Christianos è  
gentilibus idolothytis vesci. Non autem ulterius potuerunt obligare  
Patres Gangrenses, quam Apostolus. Neque ergo sanguinis & suffo-  
cati interdictum ab ipsis repetitum ulterius obligat. 6. Patres Gan-  
grenses, licet censuerint, in oriente propter Judæos, Gentiles & Hæreti-  
cos diversos atque adeò scandali avertendi causa, continuari debere lo-  
gus præceptum Apostolicum de abstinencia à sanguine, idolothyto &  
suffocato, non tamen indicare, quod illa perpetuari debeat. Uti-  
mur ergo nunc ea libertate, qua extra formidinem  
scandali uti possumus. Sic  
adversus Grotium,














the scale towards document

pitur facere, quod metrices essent, poenamque esse in  
agitii, non tamen peccare, qui foeminis istis venalibus  
morali lege inclusum fuit istud interdictum. Non au-  
& in aliquibus documentis tota lex moralis repetita  
, aut Mosen. Mansit interim mentibus insculpta, in-  
loachi. 2. Dubium est, an id, quod de praecipis filii  
binis traditur, si omnino ita habeat? Certè scriptura  
et Adamo ac Noacho plura praecipia fuisse, quam istis  
, satis manifestum est 3. Dubium est an omnia Ada-  
praecipia perpetuò gentes obligaverint? Fuit sanè præ-  
arum de sacrificando & ita representando semon mu-  
ficio suo contriturum caput serpentis. Nonnulli qui-  
ant ex solius rationis iudicio sacrificiorum cultum in-  
naturalem rationem obligare hominem ad sacrifican-  
errorem impugnavi in *Myfaria Myffa*, quam ante xxx.  
Isheimensi Herbero opposui. c. 2. Certè cultus Dei  
sequenter revelatione Dei dependet. Alias venit no-  
tes Col. 2, 23. *Selbsterwehsten Gottesdienfts*. Et Abel  
ium melius, quam Cain. Hebr. 11, 4. Si fide, ergo ex  
tis, Rom. 10, 17. At istud non obligavit ultra tempus  
, licet sacrificiorum oblatio ex more Judaico aliquan-  
tem Christi tolerata fuerit. Non igitur, quod ante Mo-  
icho praecipium est, omnes homines semperque ob-  
nisi aliunde obligationis ostendatur ratio. *quibus*  
tem est est & ex Socinianismo haustum, quod dicitur,  
nisse praecipis Adamo & Noacho datis, addidisse au-  
ex dubio 3, patet. Etiam si enim expressè ipse non di-  
ittenda esse, re ipsa tamen factò sustulit è medio, quan-  
mbra terminari docuit, cum consummata esse omnia  
postoli satis clarè indicant, quid de sacrificiis haben-  
nisse autem Christum aliqua in primis moralia praecipia  
& Noachae datis, quod posterius asserit Grotius, & So-  
est, nullo apice, s. literarum probari potest. Explicat  
ecessus contra sinistram antiquitatis interpretationem  
Matthæi V. sed hoc non est addere.

A 3

Probati-